


bus angulis, lateri EF æquale. Dico rursus æquilatera & æquian-
 gula esse ipsa triangula. Susceptis enim denuo polis in B & F , de-
 scribantur maximorum circulorum circumferentiæ GH & KL .
 Et productæ AD & GH se secent in N , atq; EC & LK similiter pro-
 ductæ in M . Quoniam igitur bina triangula H
 DN & EKM , angulos HDN & KEM habent æqua-
 les, qui sunt ad uerticem assumptis æqualibus
 & qui circa H & K sunt recti per polos sectione,
 latera etiam DH & EK æqualia. Æquiangula
 sunt ergo ipsa triangula & æquilatera per præ-
 cedentem demonstrationem. Ac rursus quia
 GH & KL sunt æquales circumferentiæ propter
 angulos B & F positos æquales. Tota ergo GHN toti MKL æqua-
 lis per axioma additionis æqualium. Sunt igitur & hic bina tri-
 angula AGN & MCL habentia unum latus GN æquale uni ML ,
 angulum quoq; ANG æqualem CML , atq; G & L rectos. Erunt ob-
 id ipsa quoq; triangula æqualium laterum & angulorum. Cum
 igitur æqualia ab æqualibus sublata fuerint, relinquentur æqua-
 lia AD ipsi CE , AB ipsi CF , atq; BAD angulus reliquo ECF angulo.
 Quod erat demonstrandum.



VIII.

ADhuc autem si bina triangula, duo latera duobus lateribus
 æqualia habuerint, alterum alteri, & angulum angulo æqua-
 lem, siue quem latera æqualia compræhendunt, siue qui ad ba-
 sim fuerit, basim quoq; basi, ac reliquos angulos reliquis habe-
 bunt æquales. Vt in præcedenti figura, sit latus AB æqua-
 le lateri CF , & AD ipsi CE . Ac primum angulus A , æqualibus com-
 præhensus lateribus angulo C . Dico basim quoq; BD , basi EF , &
 angulum B ipsi F , & reliquum BDA reliquo CEF esse æqualia. Ha-
 bebimus enim bina triangula AGN & CLM , quorum anguli G &
 L sunt recti, atq; GAN æqualem ipsi MCL , qui reliqui sunt æqua-
 lium, BAD & ECF . Æquiangula igitur sunt inuicem & æquilate-
 ra ipsa triangula. Quapropter ex æqualibus AD & CE relinquin-
 tur etiam DN & ME æqualia. Sed iam patuit angulum qui sub D
 NH æqualem esse ei qui sub EMK , & qui circa H , K sunt recti, erunt
 quoq; bina triangula DHN & EMK æqualium inuicem angulorum
 &